



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

An aliquando resistendum sit potestati. C

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

buit, elationem vero potentie malitia nostre mentis inuenit. Tollam⁹ ergo quod de nostro est, quia non potentia iusta, sed actio praua damnatur. His auctoritatibus aliisque pluribus euidenter ostenditur, quod non est potestas boni vel mali cuiuscunque, nisi a deo æquo, etsi te lateat æquitas.

An aliquando resistendum sit potestati

C

Hic oritur quæstio, non transilienda silentio. Dictum est supra, quod potestas peccandi vel nocendi non est homini vel diabolo, nisi a Deo. Apostolus autem dicit quod qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Cum ergo diaboli sit potestas mali, Dei ordinatione, eius potestati non esse resistendum videtur. Sed sciendum est, Apostolum ibi loqui de seculari potestate, scilicet rege, & principe, & huiusmodi: quibus non est resistendum in his quæ iubet Deus eis exhiberi, scilicet in tributis, & huiusmodi. Si vero princeps aliquis, vel diabolus aliquid iusserit vel sua serit contra deum, tunc resistendum est. Vnde Aug. determinans, quando resistendum sit potestati in libr. de natura boni ait. Si aliquid iubeat potestas quod non debeas facere, hic sane contemne potestatem timendo maiorem potestatem. Ipsos humana rerum gradus aduerte. Si quid iusserit Procurator, nunquid faciendum est, si contra Proconsulem iubeat? Rursus si quid ipse Pro consul iubeat, & aliud iubeat Imperator, nunquid dubitatur illo contempto illi esse seruendum? Ergo si aliud Imperator, aliud iubeat Deus, contempto illo obtemperandum est Deo. Potestati ergo diaboli vel hominis tunc resistamus cum aliquid contra Deum suggererit: in quo Dei ordinationi non resistimus, sed obtemperamus. Sic n. De⁹ precepit, ut in malis nulli potestati obediamus. Iam nunc his verbis intelligendis atque pertractandis, quæ ad verbi incarnati mysterium pertinent, integra mentis consideratione intendamus ut de ineffabilibus vel modicum aliquid fari, Deo reuelante, valeamus. Finis libri secundi. K k IN-

Rom. I. 2

Aug. ser. 6.
de verbis
domini secundum
Matthæum
c. 8. ad finem
tom. 10.